

1528 *bus foederatorum rebus consuleret, rogatam Ravennae, ac Cerviae urbibus praesidia imposuisse; inde non modo Flaminiam, ac Picenum, sed Bononiam quoque, atque eam, quae trans Apeninnum est, Ecclesiae ditionem servatam esse: modo si postulatis annuat, id summo cessurum omnium detrimento; cum praecipue oppida, atque arces Apostolicae Sedis in Caesareanorum potestatem vel vi, vel deditione redactae sint: quocirca de iis restituendis nihil certi Senatum statuere posse, ni melior fortuna Pontifici, ac foederatis accedat. Quod vero ad Antistites nominandos spectat, petere Rempublicam, ne illi a Clemente ea denegentur, quae reliquis Christianis Principibus concessa sunt, penes quos constat priscum hunc morem adhuc vigere: eo saepius maximis incommodis, quae ob Antistitum absentiam accidere solent, obviam itum; per multas successiones temporum apud Senatum nominandorum Antistitum jus fuisse, qui a Pontifice Maximo populorum pastores postularentur, aequitati consentaneum, neque sacris legibus adversum videri; deberi hoc Venetae Reipublicae, quae imperii, ac religionis eadem fundamenta jecerit; pro illa tutanda, & servanda non thesauris, non viribus, non vitae civium pepercerit; labanti Apostolicae Sedi opem tulerit; pro illius dignitate, atque auctoritate acerrime certaverit; & si quando, hac potissimum tempestate non exiguis argumentis patefecerit: sperare id, quod vehementer optat, a Pontifice consequuturam. In hanc sententiam Senatusconsultum Aloysius Mocenicus tulit. At reliquis Collegii Patribus fatius visum est, si orator ad Clementem deligeretur, qui coram iis de rebus ageret: interea Pontifici de libertate, & incolumitate gratulatum; gratiae actae, quod amantissimis literis, Sypontinoque Archiepiscopo Venetias misso, propensam erga Rempublicam voluntatem patefecisset: eadem Senatus decreto Archiepiscopo significata, oratorque Gaspar Contarenus est declaratus.*

*Senatus
Decretum de
oratore ad
Pontificem
mittendo.*

*Gaspar Contarenus ad
Pontificem
orator.*

Et jam belli redintegrandi acriori animorum obstinatione, ac majoribus viribus, prorsusque abjiciendae pacis certiora signa videbantur: quamvis enim Insubrum provinciam Sfortiae restitutum Caesar haud inficiaretur, atque a pace cum Venetis, aliisque foederatis minime se aversum ostenderet; attamen omnia inter illum, Galliaeque regem adeo plena suspicio-
nis